

David Lohtsack Christian Zickermann

De Instrumento : Disputatio Prima

Rostochii: Richelius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732463254>

Druck Freier  Zugang



R u phil 2697

MODERANTE DEO
LINGUAM! 56.
DE
INSTRUMENTO.
DISPUTATIO PRIMA.

Quam

In Florentissima Rosarum Academia
Indulgente Amplissimo Philosophorum Ordine
placido Amicorum colloquio subiecturi
sunt,

Ad diem 27. Martii Anno 1697.

IN AUDITORIO MAJORI.
PRÆSES

M. DAVID *Lothfack* /

Stetinensis Pom.

&

RESPONDENS


CHRISTIANUS *Zickermann*.

Wollin. Pom.

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat.
Typograph.

MODERANTE DEO
LINGUA
DE
INSTRUMENTO
DISPUTATIO
In hoc opere p. Leonhardi & Carolini
Instituto Augustino Philosophorum Ordinis
Sacerdotum & Sacerdotum Collegio habita
Anno
M. DC. LXX. Septembris die 17.
IN AUDITORIO MAJORI
PRAES
M. DAVID
Sicimensis P. om.
&
RESPONDENS
CHRISTIANUS
Wollm. P. om.
ROSTOCKI
T. JACOBI RICHARDI
Typographi.




PRÆFAMEN.



I qua doctrinarum in toto Philosophiæ Primæ systemate comprehensarum propter insignem quam non tantum in superioribus Facultatibus, sed & in communi vita præstat utilitatem, præ cæteris commendanda & magnis efferenda venit laudibus, Doctrinæ Causæ & Causati vix quendam aliam præferendam esse autumo. Tanta quippe hujus Doctrinæ tam in quovis eruditionis & Scientiæ genere quam in quotidiano & vulgari usu apparet & utilitas & necessitas, ut eadem vix vel plane non etiam in minimis carere queamus. Imò si dixerò idem quod panis ad quotidianam vitam conservandam, & aura ad respirandum homini præstat, eandem ad comparandum & conservandum optimarum Scientiarum thesaurum præstare, nihil sane à veritatis tramite aberravero. Qui enim quæso verum à falso secernere, honestum à turpi distinguere, qui unum ex alio colligere sicque rerum naturas cognoscere aut indagare possemus, nisi causarum notitiâ instructi essemus? Elegantissima sane sunt quæ hanc in rem Dn. Möllerus Profess.

Metaph. Aلدorf. in Dodec. Disp. Theor. Causæ & Causati adduxit, inq̄uens: *In omni eruditionis genere doctrinam de causa & causato maximi non solum usus, sed summa quoque necessitatis esse, ii etiam fatebuntur, qui vel obiter in studio literarum sunt versati: ut enim hic fusus non exponam, quod ex ea ceu fonte limpidissimo omnes scientiarum rivuli promanant; certe vix rem aliquam quotidiano & vulgari duntaxat sermone rectè agitaveris, nisi ad causam & causatum probe attenderis. Nimirum exorbitantia gravi obnoxius est, quicumque sine prævia causarum cognitione laudabile quidpiam in literis præstare se posse cogitaverit: siquidem quod sol in orbe illustrando, id causarum doctrina in studiis illuminandis efficit. Et fanè certum est: si enim omnia quæ hoc in Universo contemplamur, tam ratione Originis quam diurnitatis dimetiri velimus, neutiquam diffiteri, sed uno velut ore affirmare licet, nihil unquam existitisse aut jam demum existere, quod non suo modo ad causarum classem pertineat. Cum itaque nihil in tota rerum natura existat quod causam non admittat, prætereaque tanta hujus doctrinæ præsertim in Theologia sit utilitas imò & necessitas, constitui mecum, curatori aliquantulum animo eandem perlustrare. Ast cum materia prolixior videatur quam quæ unica Dissertatione absolvi possit, hac vice illam tantum sub examinis incudem revocaturus sum particulam, quæ Causæ Instrumentalis sive Instrumenti naturam exhibet, quamvis & hæc proluxa satis videri possit. Ut igitur ea quæ hac de materia proposituri sumus æquis à B. L. lustrentur oculis, est quod eundem rogamus.*



§. I. In-



§. I.

Instrumento curas nostras hac vice applicantes, eâ procedere allubescit methodo, quæ thematibus simplicibus à methodistis examinandis tribui solet, inquirendo (1) in ὀνομασιολογίαν & (2) in πραγματολογίαν. Præmissâ enim nominis explicatione, res ipsa difficilis esse non potest, cum sæpissimè illa manu nos quasi ducat ad hujus interiora.

§. 2. Dicitum autem putant ratione Etymi Philosophi Instrumentum ab instruendo; causam derivationis hanc allegantes, quia ad opera struenda & perficienda à causa principali ordinatur & adhibetur. Ex Tertulliano videre est pro vocabulo Instrumenti antiquitus simplicem strumenti vocem in usu fuisse, cujus in locum postea successu temporis Instrumenti terminus assumptus est, illo contra in desuetudinem abeunte. Uti observat Dn. Wetshen in *Inst. Met. part. prior. cap. 16. §. 5. n. 3. p. 916.*

§. 3. Ambiguitatem termini hujusquod attinet, varias à variis Instrumento competentes consignatas reperimus acceptiones. In colligendis iis inprimis operam adhibuerunt Pet. Musæus in *Inst. Met. cap. 15. p. m. 166.* Rudrauff. in *Instit. Met. cap. 4. de causa effc. p. 430.* Stablius Tab. 6. *Met. aliq.* qui tamen ferè omnes distinctiones Instrumenti nominales cum divisionibus realibus videntur conjunxisse, quæ tamen bene distinguenda erant. Nos igitur distinctè processuri, hic de distinctionibus nominalibus acturi, divisiones Instrumenti ad πραγματολογίαν remittentes, ubi illas examinaturi sumus. Inprimis verò occurrit hic notanda acceptio, quâ Instrumenti terminus accipitur vel late & minus proprie, vel strictè & proprie. Late acceptus

Dispu
Respon
Christia
Zickern
Woll. Po

ptus terminus Instrumenti tres potissimum sustinet significationes. Vel enim fumitur (1) pro *habitibus* illis quos instrumentales vocare solemus v. g. Logicâ, Grammaticâ Rhetoricâ. Hi enim quandoq; absolutè instrumenta vocantur notante Musæo & Rudrauffio ll. cc. sine dubio hanc ob causam, quia non tradunt Res ipsas, sed tantum modum tractandi res, vel instrumenta sciendi & notificandi *conf. Regius in Disp. Log. lib. I. probl. 3. p. m. 61.* quare etiam non propter se, sed in gratiam aliorum habituum Principalium intellige, ut iis inserviant, addiscuntur. Quemadmodum propriè dicta instrumenta causæ principali inserviunt. (2) Pro *medio quocumq;*, quo inter veniente sive cooperetur sive non aliquid producit. Quomodo baculus Mosis, in edendis miraculis, item sputum à Christo adhibitum in restituendo Cæco visu instrumentum nonnemi dicitur. (3) Pro *causa secunda* cum prima concurrente ad effectum producendum. Solet enim & hæc à quibusdam *instrumentum primæ* dici, quamvis minus propriè. Requirit eqvidem causa secunda concursum causæ primæ, & sine illâ agere non potest, quia tamen habet sufficientiam virtutis ad producendum effectum, denominatur etiam effectus ab illâ, sequitur illam propriè dictum instrumentum haud esse. Ad hoc enim requiritur, ut neque habeat virtutem sufficientem ad effectum producendum, neque effectus ab illo denominetur, sed à causa principali, quemadmodum Scriptura non à calamo sed ab homine denominatur, homo enim dicitur scribere &c. Et hæc Instrumenti acceptio, propria nimirum h. l. à nobis attenditur.

§. 4. In tali verò sensu intellige proprio acceptum Instrumentum alias quoq; vocari solet *Causa Instrumentalis* & *Organon*. Plura eqvidem adhuc communiter numerantur Instrumenti Synonyma, in primis additur à quibusdam

dam medium, putarim tamen ex accuratiorum Philosophorum mente medium pro Synonymo Instrumenti habendum haud esse, quia Instrumento latius est, ipsumque Instrumentum sub se tanquam strictius complectitur. Quod verò huic ita sit, probatur inde, quia medium non semper causæ agenti cooperatur, aut revera in effectum influit, sed quandoque aliâ ratione tantum causæ agenti inservit. Instrumentum verò omne semper cooperatur causæ principali & ipso actu influit ad effectum producendum. Quod verò non omne medium causæ principali cooperetur, probatur inde, quia non tantum dantur *media cooperantia*, quæ cum Instrumento coincidere haud inviti largimur, sed & *quoad solum situm talia*: Et hæc posteriora nequaquam cooperantur, adeoque nec Instrumenta dicenda sunt, quomodo v. g. via est medium iter facientis, minime verò Instrumentum. Sic v. g. Rostochio Lubecam tendenti Wismaria est medium quoad solum situm tale. Sic mensa respectu scriptionis in illâ est quidem medium, minime verò Instrumentum. Idem Judicium esto de Instrumentis cæteris communiter dictis passivis. Acute hoc innuit *Excell. Dn. D. Tilicke Præceptor noster ad tumultum colendus in CMSC. Pansoph. Doct. Met. lib. 7. S. 3.* ubi dicit: *medium datur (1) quoad solum situm & hoc non coincidit cum Instrumento, (2) Ratione operationis, quod ita est inter aliquas res ut simul operetur. Sic crena est medium inter scribentem & chartam. Ex mente Philosophorum, pergit, inter hoc Medium & Instrumentum non datur discrimen, ex mente vero Theologorum differunt. Sic verbum DEI respectu Conversionis dicitur quidem medium, non autem accurate Instrumentum potissimum si per Instrumentum tale quid intelligas, quod per se citra elevationem à causa superiori in effectum non influit. Si verò purgetur instrumenti vox ab imperfectionibus*

bus tum etiam uti alia voces ita purgata v.g. attributum &c.
adhiberi potest. Hæc ille. Huc tendit quoque monitum
B. Quensled. in System. Part. 1. cap. 1. didact. th. 32. p. m. 21.
ubi dicit: Dextre esse accipienda illa quando verbum DEI
â quibusdam Theologia Causa Instrumentalis dicitur &c.
quem vide, ne falcem in Theologorum messem mittere
videamur. Eadem ferme habet Magnif. Dn. D. Fechtius
Præceptor & in Christo Pater filiali obsevantiæ cultu profe-
quendus in CMSC. Thet. Antith. Loc. 2. de Scriptura S.
§. 43. item B. Schomerus in CMSC. Thet. Antith. f. Novis-
simarum controv. cap. 2. §. 17. Alii verò quos inter &
Clar. Pascha in Ontol. cap. 3. de Causa & Causato præc. 3.
§. 30. p. m. 443. Hanc Medium inter & Instrumentum
faciunt differentiam, ut Medium quandoque Instrumen-
to nobilius & excellentius, quandoque verò exilius esse
dicant. Utriusque acceptionis Exempla Dn. Pascha l. c.
adducit. Sic inquit, Verbum DEI dicitur medium salutis,
non tamen Instrumentum dici potest, si accuratè loqui
velimus, quia eminentius est quam ut Instrumenti no-
mine exprimatur. Similiter baculus Mosis fuit medium
in miraculis â Mose adhibitum, ignobilior tamen fuit
quam ut notionem Causæ Instrumentalis sustineat. Sic
sputum â Christo in sanatione oculorum cæco restitu-
endorum adhibitum medium quidem non tamen Instru-
mentum erat. De cæterò consuli hic possunt Excellent.
Dn. D. Lindemannus in CMSC. Metaph. ad Metaph. Divin.
Calovii: Frommius in Synopsi Metaph. lib. 2. c. 16. quæst. 8.
p. 313. Neander in Inst. Met. lib. 2. part. gen. c. 12. præc. 8.
§. 3. p. 330. Calov. Metaph. Div. p. m. 628.

§. 5. Quemadmodum verò nos medium pro Sy-
 nonymo Instrumenti non agnoscimus; ita plurimi Phi-
 losophorum â nobis Synonymi loco adductam Causam
 Instrumentalem ex numero Synonymorum Instrumen-
 ti

ti rejiciunt, credentes magnam intercedere differentiam
 inter *Instrumentum* & *causam Instrumentalem*. *Instrumentum*
 enim latius esse putant causâ Instrumentali. Cau-
 sam enim Instrumentalem vocant Instrumentum in actu
 agendi s. dum Instrumentum actualiter influit: Instrumen-
 tum autem dici quoque posse ajunt extra actionem v. g.
 malleum spectatum ratione usus, quatenus nimirum â fa-
 bro actualiter assumitur ad producendum effectum, Cau-
 sam Instrumentalem vocant; extra usum verò spectatum
 & quatenus pendet de pariete eum nudum Instrumentum
 dicunt. Adeoq; Instrumentum illis est, quod habet quidem
 potentiam influendi cum causa principali, actu ipso tamen
 non influit: Causa verò Instrumentalis, quæ actu ipso cum
 principali causa influit. Uti videre est apud *Homborg. in*
Disp. Met. 7. th. 39. Museum in Inst. Met. cap. 15. §. 6. 7.
p. 164. Zeisold. in Inst. Phys. lib. 1. Sect. 2. art. 2. punct. 3.
§. 204. p. 129. Dn. Belthen in Inst. Met. l. c. p. 909. Rudrauff.
in Inst. Met. cap. 4. de Causa Efficiente thes. 6. p. 429. &c. No-
 bis tamen altera sententia quæ Instrumentum & Causam
 Instrumentalem pro Synonymis habet probabilior esse
 videtur. Et quidem (1) quia Instrumentum dicitur re-
 spectu influxus: quicquid igitur non influit, illud Instru-
 mentum dici nequit. Crediderim itaque ferram, item-
 que malleum cæteraque Instrumenta ratione influxus
 propriè talia, extra illum influxum rationem Instrumen-
 ti non habere. (2) Quia Instrumentum respectum dicit
 ad causam principalem cujus est Instrumentum, & â quâ
 elevatur; extra igitur respectum hunc Instrumentum non
 erit Instrumentum. Jam verò quemadmodum causa
 Principalis tum demum est vera causa, quando actu influit
 (non enim putandum distinctionem causæ in actu & po-
 tentia talem esse veram causæ Divisionem, ita ut utrumq;
 membrum veræ causæ rationem habeat, causa enim in

B

potentia

potentia non est vera causa, quia causalitas causæ consistit in actuali in fluxu, quo causa in potentia destituitur. Quemadmodum igitur Ens in potentia ideo quia nondum vere existit extra causas, sed in causis tantum latet, est verum Ens dicendum, sed tantum in causis tale, ita nec causa in potentia vera causa est, quia potentia illa causandi seu Ratio causandi in actum nondum deducta est.) Ita & Instrumentum tuuc demum est verum ac propriè dictum Instrumentum quando à causa Principali elevatur & applicatur. (3) Idem innuit Græcum nomen ὄργανον, quod teste Plutarcho est quasi ἔργον dictum, scil. vel ab ipso productionis actu, quo opus producitur, vel ab opere jam producto. *Conf. Lexicon Græco-Latinum Johannis Scapulae ad vocabulum ὄργανον.* Imo fatetur ipse Philosophus Instrumentum non tantum esse alterius gratia *Lib. I. de part. anim. c. 5.* sed & statim subjicit, ὅτι δὲ ἐνεκα, περὶ τῆς αὐτῆς ἰσὶς id verò cuius gratia est, actio est. Instrumentum igitur an Instrumentalem causam dicas perinde erit.

§ 6. Definitionem Instrumenti quod attinet, variæ à Philosophis in medium proferri solent. Nos examinandas illas nobis hac vice non sumimus, sed lectorem remittimus ad *Werenbergium in Exercit. Met. Exerc. 9. theor. 15. p. m. 284.* *Timplerum in Metaph. lib. 3. cap. 2. quæst. 48. p. m. 252.* item *Rudrauffium in Instit. Met. l. c. nec non Saurezium in Diss. Met. Diss. 17. Sect. 2. n. 7. seqq. p. 369.* ubi fusius illas discussas reperiet. *Arriaga Diss. Phys. XI. Sect. 3. n. 43.* Ita Instrumentum definit: quod sit Causa Efficiens minus principalis imperfectior suo effectu ad quem naturaliter virtutem non habet, adeoque eget elevatione. Quæ cum communiter recepta coincidere videtur, quando dicitur quod Instrumentum sit Causa Efficiens minus principalis, influens in effectum virtute ignobiliori, quam ad illum producendum requiritur, adeoque elevatione superioris indiget. Quam & nos retinemus. §. 7.

§. 7. Cum verò omnis Definitio resolvenda fit in genus & differentiam, vel uti fit in transcendentibus, in Conceptum contrahibilem & contrahentem, ita & præfens Instrumenti Definitio resolvenda venit. Contrahibilem autem Conceptum exhibent priora Definitionis verba, quando à nobis dictum est, esse Instrumentum Causam Efficientem minus principalem: Sequentibus contrahens absolvitur.

§. 8. Circa Conceptum Contrahibilem examinandum varia se oculis nostris consideranda sistunt. Et quidem primo statim momento occurrit hic examinanda quæstio: *Num Causa Instrumentalis sit verà Causa?* Cujus negativam quondam Scaliger defendendam sibi sumfit sententiam uti videre est in *Exercitationibus Exeoter. ad Cardanum. Exerc. 297. Sect. 3. p. m. 879. Ubi frustra putat à Platone & Galeno Instrumentum ad causarum numerum fuisse additum, quia Instrumentum non movet sed movetur.* Nos præsupponimus hic, Causam propriè dictam esse Principium influens in esse causati, non verò uti Scaliger putat l. c. quod fit id, quod movet aliud, ipsum tamen non movetur. Si enim hæc Definitio vera esset, sequeretur, nullam causarum secundarum esse veram causam, quia hæ omnes agunt per motionem causæ primæ, extra concursum enim primæ agere nequeunt. Jam verò nemo facile negaverit causas secundas esse veras causas. Ne dicam ambiguum valde esse terminum motionis, variisque expositionibus obnoxium, quas hic apponere plagularum angustia non permittit. Qui tamen eas evolvere desiderat adeat *Suarezium in Diss. Met. 17. Sect. 2. n. 13. p. 370.* Quod verò altera illa à nobis tradita Causæ Definitio melior sit, probatur inde, quia exhaurit omnium vulgo receptorum causarum generum latitudinem. Approbata autem atque legitimata sic illa causæ

definitione, facillimo negotio inde Instrumenti causalitas probari potest: ita enim argumentor: *Cui competit vera causa Definitio, illi & Definitum competit. Atqvi Instrumento competit vera causa Definitio ergò & Definitum. Sicque erit vera causa.* Maj. probatur: Definitio enim juxta Philosophum est essentiae rei explicatio. Cui igitur competit Definitio, illi & essentia Definitione notata competit. Minor probatur: Quia Instrumentum verè influit in effectum, producendo illum, uti patet ex descriptione, ubi calamus verè influit in effectum efformationem nimirum literarum, item ex sectione lignorum, ubi ferra in divisionem ligni verè influit. Causam igitur Instrumentum veram esse, nemo facile nisi qui veritati studio contradicere satagit, negaverit.

§. 9. Quamvis autem Instrumentum per haecenus dicta vera causa sit, minime tamen peculiare & à quatuor vulgo receptis causarum generibus (neq; enim imaginem & exemplar item causam instrumentalem vel causam sine qua non distincta causarum genera à quatuor vulgo sic dictis causarum generibus agnoscimus, qua de re consuletur *Scheibl. in Op. Met. lib. 1. cap. 22. n. 35. item Suarez Disp. 25. Met. Sect. 2. n. 2.*) peculiare causarum genus constituit, cujus affirmativam quondam defendere conati sunt *Plato & Galenus*, testante *Scaligero* l. c. quos ille refutaturus in alterum extremum prolapsus est, negando prorsus Instrumentum causam esse. Quod *Scaligeri* assertum haecenus fuit destructum. Quod verò Instrumentum non constituat peculiare & quintum causarum genus, probatur hoc medio termino, quia fundamentum diversitatis causae est diversus influxus: Nunc verò argumentor:

Cujus influxus non est diversus ab influxu reliquarum causarum, illud non potest esse distincta causa à reliquis. Atqvi Instrumenti influxus non est diversus ab influxu reliquarum

quarum causarum, Ergo etiam nec distincta à reliquis causa esse potest.

Major clara est: Quæcunqve enim conveniunt in uno tertio illa inter se conveniunt. Vid. Pascha in *Ontol. cap. 10. de Ident. & Divers. axiom. 1. & Weissius in Metaph. cap. de Eodem & Divers. can. 1.* Minor constabit ex §. 12. in quo demonstraturi sumus recte referri Instrumentum ad causam Efficientem.

§. 10. Fuere equidem è Veteribus Philosophis quidam, qui licet concesserint *Instrumentum* peculiare atqve distinctum causarum genus non constituere, *negarunt tamen ad Efficientem causam illud pertinere*, sed potius ad materiam illud reducere, quia in sententia legitur fuisse Philoponus (vir alias juxta assertum Vossii undecunqve magnus & eruditus) *lib. 1. Phys. tex. 27.* item *Benedictus Peirerius lib. 8. Phys. cap. 1.* quorum tamen Hic citante *Scheiblero lib. 1. Op. Met. cap. 22. n. 32. & cap. 2. Top. n. 30.* Instrumentum ad materiam & Efficientem simul revocavit. Quod verò ad materiam non pertineat, probatur inde, quia Instrumentum est activum sive operativum, hoc autem repugnat materiæ, ut quæ est principium mere passivum ex unanimi Philosophorum Consensu. Si igitur Instrumentum ad materiam pertineret, aut Instrumentum non ageret, aut materia non foret principium passivum, quod utrumq; in conveniens est. *Scheiblerus l. c. cap. 2. nim. Top. n. 30.* Hoc ita declarat: *Illud quod Instrumentum vocamus aut habet operationem, aut non. Si habet operationem, non pertinet ad materiam; Hujus enim causalitas non est operari. Si non habet operationem, jam proprie Instrumentum non est. Omni enim Instrumento tribuitur Operatio eaqve tum participata à principali agente, tum propria, quam habet sibi congruam. Deinde si ad materiam pertinerent Instrumenta, tum essent inprimis Di-*

Dispositiones materia, quibus ipsa idonea & habilis sit ad recipiendas formas. Sed hoc non est; nam dispositio non potest aliter referri ad materiam, nisi ut ejus adjunctum. Quod enim Dispositiones materia non exercent causalitatem materia, apparet tum ex eo, quod contradistinguntur materia & materia Dispositio: tum etiam ex hoc quod in Universum duplex assignari potest causalitas materia, una ut ex eo fiat vel constet compositum, altera ut sustentet formam. Hæc autem non conveniunt Dispositionibus. Dispositiones igitur istæ in materia non causa, sed conditio sine qua non sunt. Huc usque Scheiblerus. Quibus subjungimus hanc adhuc rationem: Si Instrumentum pertineret ad materiam, intrinsece constitueret rem à se productam. Materia enim est principium influens in intrinsecam constitutionem effectus. Instrumentum autem non ita influit in effectum, ut intrinsecè illum constituat, id quod ex scriptione & fabrilis actione abunde patet. Calamus enim non ita influit in scriptionem ut scripturam constituat intrinsecè, sed manet potius extra constitutionem ejusdem. Item malleus non ingre ditur intrinsecam constitutionem tractati ferri, sed extra illud existit. Non igitur ad materiam Instrumentum pertinebit.

§. 11. Parili facilitate etiam hoc demonstrari posset de *Eormali* & *Finali* causa, non pertinere nimirum Instrumentum ad hæc causarum genere. Ast cum me unquam litem de his causarum generibus, num Instrumentum ad illa pertineat, motam legisse recordari non possim, prætereaque spatii ratio habenda sit, lubens hæc prætereo, & illud demonstrare aggredior *Instrumentum quam rectissime ad causam reduci Efficientem.*

§. 12. Hoc verò ut clarius reddatur, in antecessum prænotandum est ex *Metaphysicis*, Causam efficientem


in

in diversas subdistingui quasi species; Inter alias vero sæ
notas subdistingui quoque illam in *Principalem* & *Minus
Principalem* causam. *Principalis* efficiens illa dicitur quæ
virtute propria ac sufficiente in effectum influens cæte-
ras causas minus-principales ita dirigit ac gubernat, ut
effectus directè & primario ipsi esse suum debeat. Quo-
modo eam definit Clar. Pascha in Ontol. ex qua defini-
tione liquet, tria requiri ad causam principalem, nimi-
rum (1) ut influat in effectum virtute propria eaque non
ignobiliori sed sufficiente (2) ut dirigat disponat ac gu-
bernet causas minus principales (3) ut effectus princi-
pali causæ primario suum esse debeat. Minus Principa-
lis verò causa efficiens est, quæ secundo ad effectum
eundem cum Principali concurrat, habetque sub se &
causam impulsivam & instrumentalem. Ubi de hac in
præsenti quæstio est, an illa rectè ad Efficientem redu-
catur? Quod hoc argumento probamus.

Cuiusque competit (1) *Ratio causandi*, (2) *ipsa causalitas*
& (3) *nota Characteristica causa efficiens*, (hæc enim
tria formalem rationem cause efficiens ingrediuntur) illud
est vera causa efficiens. Atque *Instrumento* competit (1) *Ratio
causandi* (2) *ipsa causalitas* & (3) *Nota Characteristica cau-
sa Efficientis* Ergo etiam talis erit. Major cum per se
clara sit, probatione haud indiget. Minor probatur quo-
ad singula membra. Et quidem (1) quoad *rationem cau-
sandi*: Hæc enim nihil aliud est, quam potentia seu Vis,
per quam causa efficiens apta est sese exerere, sive ut a-
gere possit. Jam vero *Instrumento* competit ejusmodi
vis intrinseca per quam aptum est ad agendum. Neque
enim aliquid causa Instrumentalis est per nudam affi-
sistentiam extrinsecam, sed ut verè *Instrumentum* sit,
requiritur aliqua *virtus ipsi insita*, eaque *intrinseca* & à vir-
tute

ute Agentis principalis distincta uti loquitur *Neander in Instit. Met.*
cap. 12. lib. 2. part. gen. p. 329. sic v. g. ferræ inest virtus intrinseca resi-
 stendi ligno, ex qua virtute ab agente principali applicata effectus ni-
 mirum sectio lignorum promanat. Imò si Instrumentum propriâ desti-
 tueretur agendi vi, nil sane causæ esset, quam obrem non quodvis In-
 strumentum ad quemlibet effectum producendum adhiberi posset v. g.
 calamus scriptorius ad agrum sulcandum & aratrum ad scribendum,
 quod virtutem propriam Instrumenti satis demonstrat. (2) Quoad cau-
 salitatem, quæ consistit in vera actione. Notanter dicitur *vera*, nam
 quamvis & finis agat, agit tamen ille non actione vera, sed *metapho-
 rica* tantum, quo ipso actio finis actioni Efficientis contradistinguitur.
 Quod verò Instrumentum agat actione vera, ex inductione exemplo-
 rum patet. Sic v. g. culter item gladius agunt per veram actionem
 aciei. Sic calamus Scriptorius verè agit per suam crenam, malleus à
 fabro adhibitus per suam formam, gravitatem & durtiè. Quod ve-
 rò (3) nec Instrumentum destituatur notâ characteristicâ causæ Effici-
 entis, inde patet, quia Scriptura rectè dicitur dependere & ab ho-
 mine & à calamo. Quamvis ab illo primario, ab hoc secundo.
 Notes hic, quando dicitur Causæ Efficientis notam characteristicam
 esse A vel Ab, tunc sumi has particulas in sensu famosiori, facile enim
 concedimus in sensu minus famoso has particulas etiam aliis sæpe con-
 venire rebus. Imò quandoque planè abesse dum recensetur causa effi-
 ciens ut v. g. quando dicitur DEus creavit hunc mundum. Ipse artifex
 hoc scriptum composuit &c. ubi recensetur causa efficiens non mentio-
 ne factâ notæ hujus characteristicæ. Quandoque notat tantum termi-
 num à quo ut cum dico: Ventus flat ab Oriente, nauta tendit à meri-
 die ad septentrionem, initium Orationis fit ab Exordio &c. quando-
 que aliud quid indicat. Et hæc circa Conceptum contra-
 hibilem notasse sufficiant.





um, Ergo etiam nec distincta à reliquis cau-

ra est: Quæcunqve enim conveniunt in
inter se conveniunt. Vid. Pascha in *Ontol.*
& *Diversf. axiom. I.* & *Weissius in Metaph.*
& *Diversf. can. I.* Minor constabit ex §. 12. in
aturi sumus recte referri Instrumentum
cientem.

uere eqvidem è Veteribus Philosophis qui
conceperint *Instrumentum* peculiare atqve
asarum genus non constituere, negarunt
entem causam illud pertinere, sed potius ad
reducere, qva in sententia legitur fuisse
ir alias juxta assertum Vossii undecunqve
aditus) *lib. I. Phys. tex. 27.* item *Benedictus*
Phys. cap. I. quorum tamen Hic citante

Op. Met. cap. 22. n. 32. & cap. 2. Top. n. 30.
ad materiam & Efficientem simul revo-
verò ad materiam non pertineat, proba-
Instrumentum est activum sive operati-
m repugnat materiæ, ut quæ est principi-
vum ex unanimi Philosophorum Consen-
strumentum ad materiam pertineret, aut
non ageret, aut materia non foret prin-
m, quod utrumq; in conveniens est. *Scheib-*
im. Top. n. 30. Hoc ita declarat: *Illud quod*
ocamus aut habet operationem, aut non. Si
m, non pertinet ad materiam; Hujus e-
non est operari. Si non habet operationem,
strumentum non est. Omni enim Instrumen-
tio eaqve tum participata à principali agen-
, quam habet sibi congruam. Deinde si ad
erent Instrumenta, tum essent inprimis Di-
B 3 posi-